

TESTI

Modulo I

a. Suet. *Gramm.* 1-3.

1. Grammatica Romae ne in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiamtum civitate necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque eius mediocre extitit, siquidem antiquissimi doctorum, qui idem et poetae et semigraeci erant – Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est – nihil amplius quam Graecos interpretabantur aut si quid ipsi Latine composuissent praelegebant. Nam quod nonnulli tradunt duos libros – de litteris syllabisque, item de metris – ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta non poetae sed posterioris Enni esse, cuius etiam de augurali disciplina volumina ferantur.

2. Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes Aristarchi aequalis; qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium Punicum bellum sub ipsam Enni mortem, cum regione Palati prolapsus in cloacae foramen crus fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus plurimas acroasis subinde fecit assidueque disseruit ac nostris exemplo fuit ad imitandum. (2). Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent diligentius retractarent ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevi *Punicum bellum*, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Q. Vargunteius *Annales* Enni, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut Laelius Archelaus Vettiusque Philocomus Lucili saturas familiaris sui, quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.

3. Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus generque Aeli Ser. Clodius, uterque eques Romanus multique ac varii et in doctrina et in re publica usus. Aelius cognomine duplici fuit: nam et Praeconinus, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat, tantus optimatum fautor ut Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. Servius, cum librum soceri nondum editum fraude interceptisset et ob hoc repudiatus pudore ac taedio secessisset ab urbe, in podagrae morbum incidit; cuius impatiens veneno sibi perunxit pedes et enecuit, ita ut parte ea corporis quasi praemortua viveret. Posthac magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinerent quominus et ipsi aliquid de ea scriberent utque temporibus quibusdam super viginti celebres scholae fuisse in urbe tradantur; pretia vero grammaticorum tanta mercedesque tam magnae, ut constet Lutatium Daphnidem septingentis milibus nummum a Q. Catulo emptum ac brevi manumissum, L. Appuleium ab Aeficio Calvino equite Romano praedivite quadringentis annuis conductum ut Oscae doceret. Nam in provincias quoque grammatica penetraverat ac nonnulli de clarissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia togata, inter quos Octavius Teucer et Sescenius Iacchus et Oppius Chares.

4. Appellatio grammaticorum Graeca consuetudine invaluit, sed initio litterati vocabantur; Cornelius quoque Nepos libello quo distinguit litteratum ab erudito, litteratos vulgo quidem appellari ait eos qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere, ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Graecis grammatici nominentur. Eosdem litteratores vocitatos Messalla Corvinus in quadam epistula ostendit, non esse sibi dicens rem cum Furio Bibaculo, ne cum Ticide quidem aut litteratore Catone: significat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul grammaticumque notissimum. Sunt qui litteratum a litteratore distinguant, ut Graeci grammaticum a grammatista, et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. Quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat: namque apud maiores ait, cum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo sed litteratorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum litteris sed imbutum.

Veteres grammatici et rhetoricam docebant, ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. Secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo – quamquam iam discretis

professionibus – nihilo minus vel retinuisse vel instituisse et ipsos quaedam genera meditationum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrasis, adlocutiones, aetiologias atque alia hoc genus, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. Quae quidem omitti iam video desidia quorundam et infantia – non enim fastidio putem. Me quidem adulescentulo repeto quendam Principem nomine alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum. Audiebam etiam memoria patrum quosdam e grammatici statim ludo transisse in forum atque in numerum praestantissimorum patronorum receptos.

5. Suet. *gramm.* 11, 3: vixit (Valerius Cato) ad extremam senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modice gurgustio postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus:

Catonis modo, Galle, Tusculanum
tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
summum grammaticum, optimum poetam,
omnes solvere posse quaestiones,
unum deficere expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

b. Cic. *Brut.* 205-207.

Cottae orationem pro se, quae inscribitur, L. Aelius scripsit Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et Graecis litteris et Latinis, antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus, quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et inlustrioribus litteris explicavit. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit, scribebat tamen orationes, quas alii dicerent, ut Q. Pompeio Rufo; quamquam is etiam ipse scripsit eas quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. His enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adulescens eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror summum ipsum oratorem minimeque ineptum Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.

c. Gell. 16, 8, 4 Sed M. Varro in libro *de lingua Latina* ad Ciceronem quarto vicesimo expeditissime ita finit: «*Proloquium est sententia in qua nihil desideratur*».

d. Varr. *L.L.* IX 1, 1-3 <*Insignis eorum est error qui malunt quae*> nesciunt docere quam discere quae ignorant: in quo fuit Crates, nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo, homine acutissimo qui reliquit περὶ ἀνωμαλίας III libros, contra analogian atque Aristarchum est nixus, sed ita, ut indicant scripta eius, ut neutrius videatur pervidisse voluntatem, quod et Chrysippus de inaequabilitate cum scribit sermonis, propositum habet ostendere similes res dissimilibus verbis et dissimiles similibus esse vocabulis notatas, id quod est verum, et Aristarchus, de aequabilitate cum scribit eiusdem, verborum similitudinem quandam inclinationes sequi iubet, quoad patiatur consuetudo. Sed ii qui in loquendo partim sequi iubent nos consuetudinem partim rationem, non tam discrepant, quod consuetudo et analogia coniunctores sunt inter se quam ei credunt, quod est nata ex quadam consuetudine analogia et ex hac <*consuetudine item anomalia. Quare quoniam*> consuetudo ex dissimilibus et similibus verbis eorumque declinationibus constat, neque anomalia neque analogia est repudianda.

TESTI
Modulo II
Rudens

Argumentum

Reti piscator de mari extraxit vidulum,
ubi erant erilis filiae crepundia,
dominum ad lenonem quae subrepta.
ea in clientelam suapte inprudens patris
naufragio eiecta devenit: cognoscitur
suoque amico Plesidippo iungitur.

Prologus

Arcturus

Qui gentis omnis mariaque et terras movet,
eius sum civis civitate caelitem.
Ita sum ut videtis splendens stella candida,
signum quod semper tempore exoritur suo
hic atque in caelo: nomen Arcturo est mihi. 5
Noctu sum in caelo clarus atque inter deos,
inter mortalis ambulo interdus.
Et alia signa de caelo ad terram accidunt:
qui est imperator divom atque hominum Iuppiter,
is nos per gentis alios alia disparat 10
qui facta hominum moresque, pietatem et fidem
noscamus, ut quemque adiuvet opulentia.
Qui falsas litis falsis testimoniis
petunt quique in iure abiurant pecuniam,
eorum referimus nomina exscripta ad Iovem; 15
cottage ille scit quis hic quaerat malum:
qui hic litem apisci postulant peiurio
mali, res falsas qui impetrant apud iudicem,
iterum ille eam rem iudicatam iudicat;
maiore multa multat quam litem auferunt. 20
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.
Atque hoc scelesti in animum inducunt suum,
Iovem se placare posse donis, hostiis:
et operam et sumptum perdunt; id eo fit quia
nihil ei acceptumst a peiuris supplici; 25
facilius si qui pius est a dis supplicans
quam qui scelestus inveniet veniam sibi.
Idcirco moneo vos ego haec, qui estis boni
quique aetatem agitis cum pietate et cum fide:
* * * * *
retinete porro, post factum ut laetemini. 30
Nunc huc qua causa veni argumentum eloquar.
Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. Illic habitat Daemones
in agro atque villa proxima propter mare,
senex, qui huc Athenis exsul venit, hau malus; 35
neque is adeo propter malitiam patria caret,
sed dum alios servat se impedivit interim,
rem bene paratam comitate perdidit.

Huic filiola virgo periit parvola.
 Eam de praedone vir mercatur pessumus, 40
 is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.
 Adulescens quidam civis huius Atticus
 eam vidit ire e ludo fidicinio domum,
 amare occepit: ad lenonem devenit,
 minis triginta sibi puellam destinat 45
 datque arrabonem et iure iurando alligat.
 Is leno, ut se aequom est, flocci non fecit fidem
 neque quod iuratus adulescenti dixerat.
 Ei erat hospes par sui, Sículus senex
 scelestus, Agrigentinus, urbis proditor; 50
 is illius laudare infit formam virginis
 et aliarum itidem quae eius erant mulierculae.
 Infit lenoni suadere ut secum simul
 eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios
 dicit, potesse ibi eum fieri divitem, 55
 ibi esse quaestum maxumum meretricibus.
 Persuadet. Navis clanculum conducitur,
 quidquid erat noctu in navem comportat domo
 leno; adulescenti qui puellam ab eo emerat
 ait sese Veneri velle votum solvere 60
 (id hic est Veneris fanum) et eo ad prandium
 vocavit adulescentem huc. Ipse hinc ilico
 conscendit navem, avehit meretriculas.
 Adulescenti alii narrant ut res gesta sit,
 lenonem abiisse. Ad portum adulescens venit: 65
 illorum navis longe in altum apscesserat.
 Ego quoniam video virginem asportarier,
 tetuli et ei auxilium et lenoni exitium simul:
 increpui hibernum et fluctus movi maritimos.
 Nam Arcturus signum sum omnium unum acerrumum: 70
 vehemens sum exoriens, quom occido vehementior.
 Nunc ambo, leno atque hospes, in saxo simul
 sedent eiecti: navis confracta est eis.
 Illa autem virgo atque altera itidem ancillula
 de navi timidae desulverunt in scapham. 75
 Nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt
 ad villam illius, exsul ubi habitat senex,
 quoius deturbavit ventus tectum et tegulas;
 et servos illic est eius qui egreditur foras.
 Adulescens huc iam adveniet, quem videbitis, 80
 qui illam mercatust de lenone virginem.
 Valete, ut hostes vestri diffidant sibi. -

Actus I

Scena I

Sceparnio

Pro di immortales, tempestatem quoiusmodi
 Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
 Detexit ventus villam - quid verbis opust? 85
 Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi,

ita omnis de tecto deturbavit tegulas;
inlustriores fecit fenestrasque indidit.

Scena II

Plesidippus Sceparnio Daemones

PL. Et vos a vobis abduxi negotiis
neque id processit qua vos duxi gratia 90
neque quivi ad portum lenonemprehendere.
Sed mea desidia spem deserere nolui:
eo vos, amici, detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio visere,
ubi rem divinam se facturum dixerat. 95
SC. Si sapiam, hoc quod me mactat concinnem lutum.
PL. Prope me hic nescioquis loquitur. **DA.** Heus, Sceparnio!
SC. Qui nominat me? **DA.** Qui pro te argentum dedit.
SC. Quasi me tuom esse servom dicas, Daemones.
DA. Luto usust multo, multam terram confode. 100
Villam integundam intellego totam mihi,
nam nunc perlucet ea quam cribrum crebrius.
PL. Pater salveto, amboque adeo. **DA.** Salvo' sis.
SC. Sed utrum tu masne an femina es, qui illum patrem
voces? **PL.** Vir sum equidem. **SC.** Quaere vir porro patrem. 105
DA. Filiolam ego unam habui, eam unam perdidit:
virile sexus numquam ullum habui. **PL.** At di dabunt.
SC. Tibi quidem hercle, quisquis es, magnum malum,
qui oratione hic occupatos occupes.
PL. Isticin vos habitatis? **SC.** Quid tu id quaeritas? 110
Quon furatum mox venias, vestigas loca?
PL. Peculiosum esse addecet servom et probum,
quem ero praesente]praetereat† oratio
aut qui inclementer dicat homini libero.
SC. Et inpudicum et inpudentem hominem addecet 115
molestum ultro advenire ad alienam domum,
quod debeat nihil. **DA.** Tace, Sceparnio.
Quid opust, adulescens? **PL.** Istic infortunium,
qui praefestinet, ubi erus adsit, praeloqui.
Sed nisi molestumst paucis percontarier 120
volo ego ex te. **DA.** Dabitur opera atque in negotio.
SC. Quin tu in paludem is exsicasque harundinem
qui pertegamus villam, dum sudumst? **DA.** Tace.
Tu si quid opus est dice. **PL.** Dic quod te rogo,
ecquem tu hic hominem crispum, incanum videris, 125
malum, peiurum, palpatorem - da. Plurumos,
nam ego propter eiusmodi viros vivo miser.
PL. Hic dico, in fanum Veneris qui mulierculas
duas secum adduxit, quique adornaret sibi
ut rem divinam faciat, aut hodie aut heri. 130
DA. Non hercle, adulescens, iam hos dies complusculos
quemquam istic vidi sacrificare neque potest
clam me esse si qui sacrificat: semper petunt
aquam hinc aut ignem aut vascula aut cultrum aut veru
aut aulam extarem, aut aliquid - quid verbis opust? 135

Veneri paravi vasa et puteum, non mihi.
Nunc intervallum iam hos dies multos fuit.
PL. Ut verba praehibes, me periisse praedicas.
DA. Mea quidem hercle caussa salvos sis licet.
SC. Heus tu qui fana ventris caussa circumis, 140
iubere meliust prandium ornari domi.
DA. Fortasse tu huc vocatus es ad prandium,
ill' qui vocavit nullus venit? **PL.** Admodum.
SC. Nullumst periculum te hinc ire inpransum domum:
Cererem te melius<tr> quam Venerem sectarier: 145
amori haec curat; tritico curat Ceres.
PL. Deludificavit me ille homo indignis modis.
DA. Pro di immortales! Quid illuc est, Sceparnio,
hominum secundum litus? **SC.** Ut mea opiniost
propter viam illi sunt vocati ad prandium. 150
DA. Qui? **SC.** Quia post cenam, credo, laverunt heri.
DA. Confracta navis in mari est illis. **SC.** Ita est.
At hercle nobis villa in terra et tegulae. **DA.** Hui!
Homunculi quanti estis! Eiecti ut natant! 154-5
PL. Ubi sunt ei homines, opseco? **DA.** Hac ad dexteram
(viden?) secundum litus. **PL.** Video. Sequimini.
Utinam is sit quam ego quaero, vir sacerrumus.
Valete. - **SC.** Si non moneas, nosmet meminimus.
Sed, o Palaemo[n], sancte Neptuni comes, 160
qui Herculei socius esse diceris,
quod facinus video! **DA.** Quid vides? **SC.** Mulierculas
video sedentis in scapha solas duas.
Ut adflctantur miserae! Eugae eugae, perbene!
Ab saxo avortit fluctus ad litus scapham 165
neque gubernator umquam potuit tam bene.
Non vidisse undas me maiores censeo.
Salvae sunt si illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periculumst. <Unda> eiecit alteram.
At in vadost, iam facile enabit. Eugepae! 170
Viden alteram illam ut fluctus eiecit foras?
Surrexit, horsum se capessit. Salva res.
Desilvit haec autem altera in terram e scapha.
Ut prae timore in genua in undas concidit!
Salvast, evasit ex aqua. Iam in litore est. 175
Sed dextrovorsum avorsa it in malam crucem.
Hem! Errabit illaec hodie. **DA.** Quid id refert tua?
SC. Si ad saxum quo capessit ea deorsum cadet,
errationis fecerit compendium. 179-80
DA. Si tu de illarum cenaturus vesperi es,
illis curandum censeo, Sceparnio;
si apud med essuru's [es], mihi dari operam volo.
SC. Bonum aequomque oras. **DA.** Sequere me hac ergo. - **SC.** Sequor. -

Palaestra

Scena III

Nimio hominum fortunae minus miserae memorantur
quam in usu, experiundo is datur acerbum.

Satin hoc deo complacitumst, med hoc ornatu ornatam
 in incertas regiones timidam eiectam?
 Hancine ego ad rem natam miseram me memorabo? Hancine
 ego partem capio ob pietatem praecipuam? 190
 Nam hoc mi sat laborist laborem hunc potiri,
 si erga parentem aut deos me inpiavi;
 sed id si parate curavi ut caverem,
 tum hoc mi indecore, inique, inmodeste
 dati' di; nam quid habebunt sibi signi inpii posthac, 195
 si ad hunc modum est innoxiiis honor apud vos?
 Nam me si sciam
 fecisse aut parentes sceleste, minus me miserer;
 sed erile scelus me sollicitat, eiuis me impietas male habet.
 Is navem atque omnia perdidit in mari:
 haec bonorum eiui' sunt reliquiae; etiam quae simul 200
 vecta mecum in scaphast excidit. Ego nunc sola sum.
 Quae mihi si foret salva saltem, labor
 lenior esset hic mi eiuis opera.
 Nunc quam spem aut opem aut consili quid capessam?
 Ita hic sola solis locis compotita 205
 Hic saxa sunt, hic mare sonat,
 neque quisquam homo mi obviam venit.
 * * * * *
 Hoc quod induta sum, summae opes oppido,
 nec cibo nec loco tecta quo sim scio:
 quae mihi spes qua me vivere velim?
 Nec loci gnara sum nec †diu† hic fui. 210
 Saltem | aliquem velim qui mihi ex his locis
 aut viam aut semitam monstret, ita nunc
 hac an illac eam incerta sum consili;
 nec prope usquam hic quidem cultum agrum conspikor.
 Algor, error, pavor, me omnia tenent. 215
 Haec parentes mei hau sciti' miseri
 me nunc miseram esse ita uti sum: 216a
 leibera ego prognata fui maxume, nequiquam fui.
 Nunc qui minu' servio quasi serva forem nata?
 Neque quicquam umquam illis profuit qui me sibi eduxerunt.

Scena IV

Ampelisca Palaestra

AM. Quid mihi meliust, quid magis in remst, quam a corpore vitam ut secludam? 220
 Ita male vivo atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales.
 Ita res se habent: vitae hau parco, perdidi spem qua me oblectabam.
 Omnia iam circumcursavi atque omnibu' latebris perreptavi
 quaerere conservam, voce, oculis, auribus ut pervestigarem.
 Neque eam usquam invenio neque quo eam neque qua quaeram consultumst, 225
 neque quem rogitem responsorem quemquam interea convenio,
 neque magi' solae terrae solae sunt quam haec loca atque hae regiones;
 neque, si vivit, eam viva umquam quin inveniam desistam.
PA. Quoianam vox mihi
 prope hic sonat?
AM. Pertimui, quis hic loquitur prope? 230

PA. Spes bona, opsecro,
 subuenta mihi,
AM. eximes ex hoc miseram metu?
PA. Certo vox muliebris auris tetigit meas.
AM. Mulier est, muliebris vox mi ad auris venit.
PA. Num Ampelisca opsecrost? **AM.** Ten, Palaestra, audio? 235
PA. Quin voco ut me audiat nomine illam suo?
 Ampelisca! **AM.** Hem quis est? **PA.** Ego Palaestra.
AM. Dic ubi es? **PA.** Pol ego nunc in malis plurumis.
AM. Socia sum nec minor pars meast quam tua.
 Sed videre expeto te. **PA.** Mihi es aemula. 240
AM. Consequamur gradu vocem. Ubi es? **PA.** Ecce me.
 Accede ad me atque adi contra. **AM.** Fit sedulo.
PA. Cedo manum. **AM.** Accipe. **PA.** Dic, vivisne? Obsecro.
AM. Tu facis me quidem vivere ut nunc velim,
 quom mihi te licet tangere. Ut vix mihi 245
 credo ego hoc, te tenere opsecro, amplectere,
 spes mea. Ut me omnium iam laborum levas!
PA. Occupas praeloqui quae mea oratiost.
 Nunc abire hinc decet nos. **AM.** Quo, amabo, ibimus?
PA. Litus hoc persequamur. **AM.** Sequor quo lubet. 250
 Sicine hic cum uvida veste grassabimur?
PA. Hoc quod est, id necessarium est perpeti.
 Sed quid hoc, opsecro, est? **AM.** Quid? **PA.** Viden, amabo,
 fanum [videsne] hoc? **AM.** Ubi est? **PA.** Ad dexteram.
AM. Video decorum dis locum viderier. 255
PA. Hau longe abesse oportet homines hinc, ita hic lepidust locus.
 Quisquis est deu', veneror ut nos ex hac aerumna eximat,
 miseras, inopes, aerumnosas ut aliquo auxilio adiuvet.

Scena V

Ptolemaecratia Palaestra Ampelisca

PT. Qui sunt qui a patrona preces mea expetessunt?
 Nam vox me precantum huc foras excitavit. 260
 Bonam atque opsequentem deam atque hau gravatam
 patronam exsequuntur benignamque multum.
PA. Iubemus te salvere, mater. **PT.** Salvete,
 puellae. Sed und' vos
 ire cum uvida veste dicam, opsecro, 265
 tam maestiter vestitas?
PA. Ilico hinc imus, hau longule ex hoc loco;
 verum longe hinc abest unde advectae huc sumus.
PT. Nempe equo ligneo per vias caerulas
 estis vectae? **PA.** Admodum. **PT.** Ergo aequius vos erat
 candidatas venire hostiatasque: ad hoc 270
 fanum ad istunc modum non veniri solet.
PA. Quaene eiectae e mari simus ambae, opsecro,
 unde nos hostias agere voluisti huc?
 Nunc tibi amplectimur genua egentes opum,
 quae in locis nesciis nescia spe sumus, 275
 ut tuo recipias tecto servesque nos
 miseriarumque te ambarum uti misereat,

quibus nec locust ullus nec spes parata,
neque hoc amplius quod vides nobis quicquamst.
PT. Manus mi date, exsurgite a genibus ambae. 280
Misericordior nulla me est feminarum.
Sed haec pauperes res sunt inopes, puellae:
egomet vix vitam colo; Veneri cibo meo servio.
AM. Veneris fanum, opsecro, hoc est?
PT. Fateor. Ego huius fani sacerdos clueo. 285
Verum quidquid est comiter fiet a me,
quo nunc copia valebit.
Ite hac mecum. **PA.** Amice benigneque honorem,
mater, nostrum habes. - **PT.** Oportet. -

Actus II

Scena IV

Sceparnio Ampelisca

SC. Quis est qui nostris tam proterve foribus facit iniuriam?
AM. Ego sum. **SC.** Hem! Quid hoc boni est? Eu edepol specie lepida mulierem! 415
AM. Salve, adulescens. **SC.** Et tu multum salveto, adulescentula.
AM. Ad vos venio. **SC.** Accipiam hospitio, si mox venies vesperi,
item ut adfectam; nam nunc nihil est qui te mane munerem.
Sed quid ais, mea lepida, hilara? **AM.** Aha! Nimium familiariter
me attrectas. **SC.** Pro di immortales! Veneris effigia haec quidem est. 420
Ut in ocellis hilaritudo est, heia, corpus quouismodi,
subvoluturium - illud quidem, "subaquilum" volvi dicere -,
vel papillae quouismodi, tum quae indoles in saviost!
AM. Non ego sum pollucta pago. Potin ut me apstineas manum?
SC. Non licet ꝑ te sic placide bellamꝑ belle tangere? 425
AM. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo et deliciae dabo;
nunc quam ob rem huc sum missa, amabo, vel tu mi aias vel neges.
SC. Quid nunc vis? **AM.** Sapienti ornatus quid velim indicium facit.
SC. Meu' quoque hic sapienti ornatus quid velim indicium facit.
AM. Haec sacerdos Veneris hinc me petere aquam iussit sibi. 430
SC. At ego basilicus sum: quem nisi oras guttam non feres.
Nostro illum puteum periclo et ferramentis fodimus.
Nisi multis blanditiis a me gutta non ferri potest.
AM. Qur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?
SC. Qur tu operam gravare mihi quam civis civi commodat? 435
AM. Immo etiam tibi, mea voluptas, quae voles faciam omnia.
SC. Eugepae! Salvos sum, haec iam me suam voluptatem vocat.
Dabitur tibi aqua, ne nequiquam me ames. Cedo mi urnam. **AM.** Cape.
propera, amabo, efferre. **SC.** Manta, iam hic ero, voluptas mea. -
AM. Quid sacerdoti me dicam hic demoratam tam diu? 440
Ut etiam nunc misera timeo ubi oculis intueor mare?
Sed quid ego misera video procul in litore? 442-50
Meum erum lenonem Siciliensemque hospitem,
quos periisse ambos misera censebam in mari.
Iam illud mali plus nobis vivit quam ratae.
Sed quid ego cesso fugere in fanum ac dicere haec
Palaestrae, in aram ut confugiamus priu' quam huc 455
scelestus leno veniat nosque hic opprimat?
Confugiam huc, ita res suppetit, subita via.

Scena V

Sceparnio

Pro di immortales! In aqua numquam credidi
voluptatem inesse tantam. Ut hanc traxi lubens!
Nimio minus altus puteus visust quam prius. 460
Ut sine labore hanc extraxi! Praefiscine!
Sati' nequam sum, utpote qui hodie amare inceperim.
Em tibi aquam, mea tu belliata. Em sic volo
te ferre honeste ut ego fero, ut placeas mihi.
Sed ubi tu es, delicata? Cape aquam hanc sis. Ubi es? 465
Amat hercle me, ut ego opinor. Delituit mala.
Ubi tu es? Etiamne hanc urnam acceptura's? Ubi es?
Commodule meliust. Tandem vero serio,
etiam acceptura es urnam hanc? Ubi tu es gentium?
Nusquam hercle equidem illam video. Ludos me facit. 470
Adponam hercle urnam iam ego hanc in media via.
Sed autem, quid si hanc hinc apstulerit quispiam,
sacram urnam Veneris? Mi exhibeat negotium.
Metuo hercle ne illa mulier mi insidias locet,
ut comprehendar cum sacra urna Veneria. 475
Nempe optumo me iure in vinclis enicet
magistratus si quis me hanc habere viderit.
Nam haec litteratast, eapse cantat quonia sit.
Iam hercle evocabo hinc hanc sacerdotem foras,
ut hanc accipiat urnam. Accedam huc ad fores. 480
Heus, Agasi Ptolemodratia, cape hanc urnam tibi:
muliercula hanc nescioquae huc ad me detulit.
Intro ferundast. Repperi negotium,
siquidem mihi his ultro adgerunda etiam est aqua. -

Antologia senecana sul tempo

I. De brevitae vitae, I-III; VIII; XI.

Cap. I. § 1. Maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gignimur, quod haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrunt, adeo ut exceptis admodum paucis ceteros in ipso vitae apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens vulgus ingemuit: clarorum quoque virorum hic adfectus querellas evocavit. Inde illa maximi medicorum exclamatio est, "vitam brevem esse, longam artem"; **§ 2.** inde Aristotelis cum rerum natura exigentis minime conveniens sapienti viro lis est: "aetatis illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena saecula educerent, homini in tam multa ac magna genito tanto citeriorem terminum stare". **§ 3.** Non exiguum temporis habemus, sed multum perdidimus. Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene conlocaretur; sed ubi per luxum ac negligentiam diffluit, ubi nulli bonae rei inpenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus transisse sentimus. **§ 4.** Ita est: non accipimus brevem vitam, sed fecimus, nec inopes eius sed prodigi sumus. Sicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt, ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

Cap. II. § 1. Quid de rerum natura querimur? Illa se benigne gessit: vita, si uti scias, longa est. At alium insatiabilis tenet avaritia, alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas; alius vino madet,

alius inertia torpet; alium defetigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio, alium mercandi praeceps cupiditas circa omnis terras, omnia maria spe lucri ducit; quosdam torquet cupido militiae, numquam non aut alienis periculis intentos aut suis anxios; sunt quos ingratus superiorum cultus voluntaria servitute consumat; § 2. multos aut adfectatio alienae fortunae aut suae querella detinuit; plerosque nihil certum sequentis vaga et inconstans et sibi displicens levitas per nova consilia iactavit; quibusdam nihil, quo cursum derigant, placet, sed marcentis oscitantisque fata deprendunt, adeo ut, quod apud maximum poetarum more oraculi dictum est, verum esse non dubitem: "exigua pars est vitae, qua vivimus". Ceterum quidem omne spatium non vita sed tempus est. § 3. Urgent et circumstant vitia undique nec resurgere aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatem infixos premunt. Numquam illis recurrere ad se licet; si quando aliqua fortuito quies contigit, velut profundum mare, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur, nec umquam illis a cupiditatibus suis otium est. § 4. De istis me putas dicere, quorum in confesso mala sunt? aspice illos, ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis effocantur. Quam multis divitiae graves sunt! quam multorum eloquentia et cotidiana ostentandi ingenii occupatio sanguinem educit! quam multi continuis voluptatibus pallent! quam multis nihil liberi relinquit circumfusus clientium populus! Omnis denique istos ab infimis usque ad summos pererra: hic advocat, hic adest, ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat, nemo se sibi vindicat, alius in alium consumitur. Interroga de istis, quorum nomina ediscuntur, his illos dinosci videbis notis: ille illius cultor est, hic illius; suus nemo est. § 5. Deinde dementissima quorundam indignatio est: queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacaverint! Audet quisquam de alterius superbia queri, qui sibi ipse numquam vacat? Ille tamen te, quisquis es, insolenti quidem vultu sed aliquando respexit, ille aures suas ad tua verba demisit, ille te ad latus suum recepit: tu non inspicere te umquam, non audire dignatus es. Non est itaque, quod ista officia cuiquam inputes, quoniam quidem, cum illa faceres, non esse cum alio volebas, sed tecum esse non poteras.

Cap. III. § 1. Omnia licet, quae umquam ingenia fulserunt, in hoc unum consentiant, numquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Praedia sua occupari a nullo patiuntur et, si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrunt: in vitam suam incedere alios sinunt, immo vero ipsi etiam possessores eius futuros inducunt. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit: vitam unusquisque quam multis distribuit! Adstricti sunt in continendo patrimonio, simul ad iacturam temporis ventum est, profusissimi in eo, cuius unius honesta avaritia est. § 2. Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem: "pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus, centesimus tibi vel supra premitur annus: agedum ad computationem aetatem tuam revoca. Duc, quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum rex, quantum cliens abstulerit, quantum lis uxoria, quantum servorum coercitio, quantum officiosa per urbem discursatio; adice morbos, quos manu fecimus, adice et quod sine usu iacuit: § 3. videbis te pauciores annos habere quam numeras. Repete memoria tecum, quando certus consilii fueris, quotus quisque dies ut destinaveras cesserit, quando tibi usus tui fuerit, quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus, quid tibi in tam longo aevo facti operis sit, quam multi vitam tuam diripuerint te non sentiente quid perderes, quantum vanus dolor, stulta laetitia, avida cupiditas, blanda conversatio abstulerit, quam exiguum tibi de tuo relictum sit: intelleges te in maturum mori". § 4. Quid ergo est in causa? Tamquam semper victuri vivitis, numquam vobis fragilitas vestra succurrit, non observatis, quantum iam temporis transierit; velut ex pleno et abundanti perditis, cum interim fortasse ille ipse, qui alicui vel homini vel rei donatur, dies ultimus sit. Omnia tamquam mortales timetis, omnia tamquam immortales concupiscitis. § 5. Audies plerosque dicentes: "a quinquagesimo anno in otium secedam, sexagesimus me annus ab officiis dimittet". Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? Quis ista, sicut disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitae tibi reservare et id solum tempus bonae menti destinare. quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est! Quae tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt!

Cap. VIII. § 1. Mirari soleo, cum video aliquos tempus petentes et eos, qui rogantur, facillimos; illud uterque spectat, propter quod tempus petatum est, ipsum quidem neuter: quasi nihil petitur, quasi nihil datur. Re omnium pretiosissima ludatur; fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit, ideoque vilissime aestimatur, immo paene nullum eius pretium est. § 2. Annua, congiaria homines carissime accipiunt et illis aut laborem aut operam aut diligentiam suam locant: nemo aestimat tempus; utuntur illo laxius quasi gratuito. At eosdem aegros vide, si mortis periculum propius admotum est, medicorum genua tangentes, si metuunt capitale supplicium, omnia sua, ut vivant, paratos impendere: tanta in illis discordia adfectum est. § 3. Quodsi posset quemadmodum praeteritorum annorum cuiusque numerus proponi, sic futurorum, quomodo illi, qui paucos viderent superesse, trepidarent, quomodo illis parcerent! Atqui facile est quamvis exiguum dispensare, quod certum est; id debet servari diligentius, quod nescias quando deficiat. § 4. Nec est tamen, quod putes illos ignorare, quam cara res sit: dicere solent eis, quos valdissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. Dant nec intellegunt; dant autem ita, ut sine illorum incremento sibi detrahant. Sed hoc ipsum, an detrahant, nesciunt; ideo tolerabilis est illis iactura detrimenti latentis. § 5. Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit, qua coepit, aetas nec cursum suum aut revocabit aut supprimet; nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suae: tacita labetur. Non illa se regis imperio, non favore populi longius proferet: sicut missa est a primo die curret, nusquam devertetur, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat: mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est.

Cap. XI. § 1. Denique vis scire quam non diu vivant? Vide quam cupiant diu vivere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant; minores natu se ipsos esse fingunt; mendacio sibi blandiuntur et tam libenter se fallunt quam si una fata decipiant. Iam vero cum illos aliqua inbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum paventes moriuntur, non tamquam exeant de vita, sed tamquam extrahantur! Stultos se fuisse, qui non vixerint, clamitant et, si modo evaserint ex illa valetudine, in otio victuros; tunc quam frustra paraverint, quibus non fruerentur, quam in cassum omnis ceciderit labor, cogitant. § 2. At quibus vita procul ab omni negotio agitur, quidni spatiosa sit? Nihil ex illa delibatur, nihil alio atque alio spargitur, nihil inde fortunae traditur, nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil supervacuum est: tota, ut ita dicam, in reditu est. Quantulacumque itaque abunde sufficit, et ideo, quandoque ultimus dies venerit, non cunctabitur sapiens ire ad mortem certo gradu.

II. *Ad Marciam de consolatione.* 10, 1-4. 26, 6.

Cap. 10. § 1. Quidquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi honores opes, ampla atria et exclusorum clientium turba referta vestibula, clarum nomen, nobilis aut formosa coniux ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia alieni commodatique apparatus sunt; nihil horum dono datur. Conlatiis et ad dominos redituris instrumentis scaena adornatur; alia ex his primo die, alia secundo referuntur, pauca usque ad finem perseverabunt. § 2. Itaque non est quod nos suspiciamus tamquam inter nostra positi: mutua accepimus. Usus fructusque noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat; nos oportet in promptu habere quae in incertum diem data sunt et appellatos sine querella reddere: pessimi debitoris est creditori facere convicium. § 3. Omnes ergo nostros, et quos superstites lege nascendi optamus et quos praecedere iustissimum ipsorum votum est, sic amare debemus tamquam nihil nobis de perpetuitate, immo nihil de diuturnitate eorum promissum sit. Saepe admonendus est animus, amet ut recessura, immo tamquam recedentia: quidquid a fortuna datum est, tamquam exempto auctore possideas. § 4. Rapite ex liberis voluptates, fruendos vos in vicem liberis date et sine dilatione omne gaudium haurite: nihil de hodierna nocte promittitur - nimis magnam advocationem dedi - nihil de hac hora. Festinandum est, instatur a tergo: iam disicietur iste comitatus, iam contubernia ista sublato clamore solventur. Rapina rerum omnium est: miseri nescitis in fuga vivere!

Cap. 26. § 6-7. Si tibi potest solacio esse desiderii tui commune fatum, nihil, quo stat loco, stabit, omnia sternet abducatque secum vetustas; nec hominibus solum - quota enim ista fortuitae potentiae portio est? - sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet. Totos supprimet montes et alibi

rupes in altum novas exprimet; maria sorbebit, flumina avertet et commercio gentium rupto societatem generis humani coetumque dissolvit; alibi hiatibus vastis subducet urbes, tremoribus quatiet, et ex infimo pestilentiae halitus mittet et inundationibus quidquid habitatur obducet necabitque omne animal orbe submerso et ignibus vastis torrebit incendetque mortalia. Et cum tempus aduenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista se suis caedent et sidera sideribus incurrent et omni flagrante materia uno igni quidquid nunc ex disposito lucet ardebit. Nos quoque felices animae et aeterna sortitae, cum deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsae, parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam novit!

III. *Naturales quaestiones*, 6, 32, 9-12.

Cap. 32. § 9. Quantum potes itaque, ipse te cohortare, Lucili, contra metum mortis: hic est qui nos humiles facit; hic est qui vitam ipsam, cui parcit, inquietat ac perdit; hic omnia ista dilatat, terrarum motus et fulmina. Quae omnia feres constanter, si cogitaveris nihil interesse inter exiguum tempus et longum. **§ 10.** Horae sunt quas perdimus. Puta dies esse, puta menses, puta annos: perdimus illos nempe perituros. Quid, oro te, refert num perveniam ad illos? Fluit tempus et avidissimos sui deserit. Nec quod futurum est meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo, et magni est modicum fuisse. **§ 11.** Eleganter ille Laelius sapiens dicenti cuidam "Sexaginta annos habeo", "Hos", inquit, "dicis sexaginta quos non habes". Ne ex hoc quidem intellegimus incomprehensibilis vitae condicionem et sortem temporis semper alieni, quod annos numeramus amissos. **§ 12.** Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: moriendum est. "Quando?". Quid tua? Mors naturae lex est, mors tributum officiumque mortalium malorumque omnium remedium est: optavit illam quisquis timet. Omnibus omissis, hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides; effice illam tibi cogitatione multa familiarem, ut, si ita tulerit, possis illi et obviam exire.

IV. *Ad Lucilium epistulae morales* 22, 14-17.

14. "Nemo non ita exit e vita tamquam modo intraverit". Quemcumque vis occupa, adolescentem, senem, medium: invenies aequae timidum mortis, aequae inscium vitae. Nemo quicquam habet facti; in futurum enim nostra distulimus. Nihil me magis in ista voce delectat quam quod exprobratur senibus infantia. **15.** "Nemo" inquit "aliter quam quomodo natus est exit e vita". Falsum est: peiores morimur quam nascimur. Nostrum istud, non naturae vitium est. Illa nobiscum queri debet et dicere, "quid hoc est? Sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia ceterisque pestibus: quales intrastis exite". **16.** Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur quam nascitur; nunc vero trepidamus cum periculum accessit, non animus nobis, non color constat, lacrimae nihil profuturae cadunt. Quid est turpius quam in ipso limine securitatis esse sancitum? **17.** Causa autem haec est, quod inanes omnium bonorum sumus, vitae iactura laboramus. Non enim apud nos pars eius ulla subsedit: transmissa est et effluxit. Nemo quam bene vivat sed quam diu curat, cum omnibus possit contingere ut bene vivant, ut diu nulli.

V. *Ad Lucilium epistulae morales* 58, 22-24

22. Quaecumque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat quae esse proprie putat. Fluunt enim et assidua diminutione atque adiectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute qui fuit iuvenis. Nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quidquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his quae videmus, manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. **23.** Hoc est quod ait Heraclitus: in idem flumen bis non descendimus. Manet idem fluminis nomen, aqua transmissa est. Hoc in amne manifestius est quam in homine. Sed nos quoque non minus velox cursus praetervehit; et ideo admiror dementiam nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque ne quando moriamur, cum omne momentum mors prioris habitus sit. Vis tu timere ne semel fiat quod cotidie fit? **24.** De homine dixi, fluida materia et caduca et omnibus obnoxia casibus. Mundus quoque, aeterna res et invicta, mutatur, nec idem manet. Quamvis enim omnia in se habeat quae habuit, ordinem mutat.

VI. *Ad Lucilium epistulae morales* 91, 7-12.

7. Nihil privatim, nihil publice stabile est; tam hominum quam urbium fata volvuntur. Inter placidissima terror existit nihilque extra tumultuantibus causis mala unde minime exspectabantur erumpunt. Quae domesticis bellis steterant regna, quae externis, inpellente nullo ruunt: quota quaeque felicitatem civitas pertulit! Cogitanda ergo sunt omnia et animus adversus ea quae possunt evenire firmandus. 8. Exilia, tormenta, bella, naufragia meditare. Potest te patriae, potest patriam tibi casus eripere, potest te in solitudines abigere, potest hoc ipsum in quo turba suffocatur fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanae condicio ponatur, nec quantum frequenter evenit sed quantum plurimum potest evenire praesumamus animo, si nolumus opprimi nec illis inusitatis velut novis obstupefieri; in plenum cogitanda fortuna est. 9. Quotiens Asiae, quotiens Achaiae urbes uno tremore ceciderunt! Quot oppida in Syria, quot in Macedonia devorata sunt! Cyprum quotiens vastavit haec clades! Quotiens in se Paphus corrui! Frequenter nobis nuntiati sunt totarum urbium interitus, et nos inter quos ista frequenter nuntiantur, quota pars omnium sumus! Consurgamus itaque adversus fortuita et quidquid inciderit sciamus non esse tam magnum quam rumore iactetur. 10. Civitas arsit opulenta ornamentumque provinciarum quibus et inserta erat et excepta, uni tamen inposita et huic non latissimo monti: omnium istarum civitatum quas nunc magnificas ac nobiles audis vestigia quoque tempus eradet. Non vides quemadmodum in Achaia clarissimarum urbium iam fundamenta consumpta sint nec quicquam exstet ex quo appareat illas saltem fuisse? 11. Non tantum manu facta labuntur, nec tantum humana arte atque industria posita vertit dies: iuga montium diffluunt, totae desedere regiones, operata sunt fluctibus quae procul a conspectu maris stabant; vasta vis ignium colles per quos relucebat erosit et quondam altissimos vertices, solacia navigantium ac speculas, ad humile deduxit. Ipsius naturae opera vexantur et ideo aequo animo ferre debemus urbium excidia. 12. Casurae stant; omnis hic exitus manet, sive uentorum interna vis flatusque per clusa violenti pondus sub quo tenentur excusserint, sive torrentium impetus in abdito vastior obstantia effregerit, sive flammaram violentia compaginem soli ruperit, sive vetustas, a qua nihil tutum est, expugnaverit minutatim, sive gravitas caeli egresserit populos et situs deserta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias longum est. Hoc unum scio: omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt, inter peritura vivimus.

VII. *Ad Lucilium epistulae morales* 108, 24-29.

24. Qui grammaticus futurum Vergilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium "*Fugit irreparabile tempus*": vigilandum est; nisi properamus relinquemur; agit nos agiturque velox dies; inscii rapimur; omnia in futurum disponimus et inter praecipitia lenti sumus; sed ut observet, quotiens Vergilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo illum "*fugit*".

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus
et labor, et durae rapit inclementia mortis.

25. Ille, qui ad philosophiam spectat, haec eadem quo debet, adducit: numquam Vergilius inquit dies dicit ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimum est, et optimos quosque primos rapi: quid ergo cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimae rei possimus aequare? Meliora praetervolant, deteriora succedunt. 26. Quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit, sic in aetate nostra, quod est optimum, in primo est. Id exauriri aliis potius patimur, ut nobis faecem reservemus? Inhaereat istud animo et tamquam missum oraculo placeat:

optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit.

27. Quare optima? quia quod restat incertum est. Quare optima? quia iuvenes possumus discere, possumus facilem animum et adhuc tractabilem ad meliora convertere; quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis et exercendis per opera corporibus: quod superest segnius et languidius est et propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo et omissis ad quae devertimur in rem unam laboremus, ne hanc temporis perniciosissimi celeritatem, quam retinere non

possumus, relictis demum intellegamus. Primus quisque tamquam optimus dies placeat et redigatur in nostrum. Quod fugit occupandum est. **28.** Haec non cogitat ille, qui grammatici oculis carmen istud legit, ideo optimum quemque primum esse diem quia subeunt morbi, quia senectus premit et adhuc adulescentiam cogitantibus supra caput est, sed ait Vergilium semper una ponere morbos et senectutem - non mehercules inmerito; senectus enim insanabilis morbus est. **29.** "Praeterea" inquit "hoc senectuti cognomen inposuit, "tristem" illam vocat: "Subeunt morbi tristisque senectus". Alio loco dicit: "Pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus". Non est quod mireris ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere: in eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam.

TESTI

Modulo III

1. **a.** Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris. **b.** Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram vertere conveniat, canere incipiam. **c.** Canes currentes bibere in Nilo flumine, a corcodilis ne rapiantur, traditum est.

2. **a.** Veni, vidi, vici. **b.** Velim diligenter vobiscum consideretis.

3. Testi di verifica: Coordinazione.

a. Quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur. **b.** Intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes. **c.** Memini neque umquam obliviscar noctis illius. **d.** Illa quae prosunt aut quae nocent, aut bona sunt aut mala. **e.** Quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. **f.** Quid perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissima fuga? **g.** Brevis a natura vita nobis data est; at memoria bene redditae vitae sempiterna. **h.** Cur nolint, etiamsi taceant, satis dicunt; verum non tacent. **i.** Sumus natura, ut ante dixi (dicendum est enim saepius), studiosissimi appetentissimique honestatis. **l.** Mus syllaba est; mus autem caseum rodit; syllaba ergo caseum rodit. **m.** Summum a nobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur quid sit voluptas. **n.** In Phocione tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaque a servis sepultus est. **o.** Proinde aut exeant aut quiescant.

4. Classificazione delle proposizioni subordinate:

a. Sostantive: Theologi docent esse deos, quales sint.

b. Aggettive: A Socrate omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit.

c. Avverbiali: Ubi illuxit, Romanus Volscum primo impetu fudit.

5. Centripetismo della sintassi latina:

a. Socrates dicere solebat omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes.

b. Ad Iovem legatos ranae miserunt, ut alium regem peterent, quod is inutilis esset, qui sibi datus esset.

6. Analisi logica dei periodi:

a. Quando ritorno al paese dove sono nato, sebbene mi senta circondato da persone amiche, non mi trovo bene, come quando sono presso di voi. **b.** Nessuno di noi ignora che cosa Catilina abbia fatto questa notte, dove sia stato, chi abbia incontrato, quali deliberazioni abbia preso insieme a quelli che erano con lui. **c.** Le rane inviarono ambasciatori a Giove per chiedere un altro re, poiché quello che era stato dato ad esse era inutile. **d.** Solone dette agli Ateniesi delle leggi tanto buone, che questi avrebbero potuto dominare su tutti i Greci, se di esse avessero voluto servirsi. **e.** Annibale, annunzandogli un servo che la sua casa era circondata da ogni parte da soldati, comandati dagli ambasciatori romani, mandò ad esplorare se tutte le uscite fossero sorvegliate e se ci fosse per lui qualche speranza di scampo. **f.** Se tu avessi voluto fare ciò che molti nobili spesso fecero, non dubito che tutta la moltitudine si sarebbe volta a te.

ATTRAZIONE MODALE

I. Uso del modo congiuntivo

1. **a.** Ita fit ut, quod bonum sit, id etiam honestum sit. **b.** Veri simile est, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem.

2. **a.** Efficitur igitur fato fieri, quaecumque fiant. **b.** Chrysippus concedet ut, si omnia fato fiant, omnia causis fiant antecedentibus.

3. **a.** Si solos eos diceris miseros, quibus moriendum esset, neminem eorum qui viverent, exciperes.

b. Nec umquam is qui audiret incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio.

4. **a.** Quis aut eum diligit, quem metuat, aut eum, a quo se metui putet? **b.** Mos est Athenis laudari in contione eos qui sint in proeliis interfecti. **c.** Fit in proelio ut ignavus miles ac timidus, simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat. **d.** Non est acerbum carere eo, quod cupere desieris.

5. **a.** Tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, uti ab eis nationibus, quae trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Caesarem.

6. a. Huic quoque accidit, quod fuit necesse, ut nonnulli milites, qui lignationis causa in silvas discessissent, repentino equitum adventu interciperentur. **b.** Demosthenes, cum ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando ut nemo planius esse locutus putaretur.

II. Uso del modo indicativo

a. Eloquendi vis efficit ut ea, quae scimus, alios docere possimus. **b.** Ego is sum, qui illi concedi putem utilius esse quod postulat (ma nel passato: *Nec adhuc fere inveni qui non concedendum putaret Caesari quod postulare*). **c.** In quem cadit aegritudo, in eundem metum cadere necesse est. **d.** Omnia, quae fiunt quaeque futura sunt, definita dicis esse fataliter. **e.** Ea quae e terra gignuntur. **f.** Numquam ii qui audiunt eum non probaverunt **g.** Apud Hypanin fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. **h.** Caesar per exploratores certior factus est, ex ea parte vici, quem Gallis concesserat, omnes noctu discessisse.

Testi di verifica sull'attrazione modale **1.** Themistocles verens ne rex bellare perseveraret, certiozem eum facit, id agi ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur. **2.** Placet igitur mihi, patres conscripti, legionis Martiae militibus et eis qui una pugnantes occiderint, monumentum fieri quam amplissimum. **3.** His rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti, Helvetii constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, comparare. **4.** Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? **5.** Eo simus animo, ut nihil in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus vel a natura parente omnium constitutum. **6.** Asia vero tam opima est et fertilis, ut multitudine earum rerum quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. **7.** Est oratori diligenter providendum non uti iis satisfaciat, quibus necesse est, sed uti iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. **8.** Existimemus eos, qui hanc rem publicam suis consiliis ac laboribus aut auxerint aut defenderint aut servaverint, esse immortalem gloriam consecutos.

CONSECUTIO TEMPORUM

a. Indicativo

Relazioni temporali	Presente	Passato	Futuro
Contemporaneità	Tibi scribo quae puto	Tibi scripsi quae putabam	Tibi scribam quae putabo
Anteriorità	Tibi scribo quae putavi	Tibi scripsi quae putaveram	Tibi scribam quae putavero
Posteriorità	Tibi scribo quod futurum est	Tibi scripsi quod futurum erat	Tibi scribam quod futurum erit

Testi di verifica. **a.** Romae videor esse cum tuas litteras lego. **b.** Terra quicquid utile futurum nobis erat, protulit. **c.** In tria tempora vita dividitur: quod fuit, quod est, quod futurum est. **d.** Si sapientem non erit admissura res publica, non accedet. **e.** Aufert vim praesentibus malis, qui futura prospexit. **f.** Tarquinius tum rex fuit, cum esse Romae licebat. **g.** Illi quod nemo fecerat, fecerunt. **h.** Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives. **i.** Haud desinam, donec perfecero hoc. **l.** Vixi et quem cursum dederat fortuna, peregi. **m.** Quidquid futurum est summum, ab imo nascitur. **n.** Conclave illud, ubi erat mansurus Deiotarus, proxima nocte corruit. **o.** Reliqui se in castra recipiunt, unde egressi erant.

Particolarità. **a.** Ut voles me esse, ita ero. **b.** Quocumque iusseris, ibimus. **c.** Si dixero mendacium, meo more fecero. **d.** Respiraro, si te videro. **e.** Quicquid in altum fortuna tulit, ruitura levat. **f.** Stomachabatur senex, si quid asperius dixeram. **g.** Manus data elephantis est, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad pastus.

b. Congiuntivo.

Relazioni temporali	Tempi principali	Tempi storici
Contemporaneità	Ignoro quid agas	Ignorabam quid ageres
Anteriorità	Ignoro quid egeris	Ignorabam quid egisses
Posteriorità	Ignoro quid acturus sis	Ignorabam quid acturus esses

Testi di verifica. **a.** Nec ignoras quanti fecerim Caepionem. **b.** Ego quid futurum sit nescio; quid fieri possit scio. **c.** Xerses lacrimas profudit, quod intra centum annos nemo ex tanta iuventute superfuturus esset. **d.** Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat; nomen tantum virtutis usurpas; quid ipsa valeat, ignoras. **e.** Quaesivi quae causa fuisset cur bona non venissent. **f.** Consule amisso quantum detrimentum res publica acceperit, non te praeterit. **g.** Quantam vim naturae bonitas haberet intellegere potuistis. **h.** Sic vive tamquam quid facias auditurus sim. **i.** Tu ne quaesieris quem mihi, quem tibi finem di dederint. **l.** Solon cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit se id neminem facturum putasse. **m.** Testis erit tibi ipsa, quanta mihi curae fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset, qui esse deberet. **n.** Fecerit aliquid Philippus, cur adversus eum hoc decerneremus. **o.** Essene quemquam tanta audacia praeditum, qui id petere audeat! **p.** Minus habeo necesse scribere quid sim facturum. **q.** Chius Aristo dixit solum bonum esse quod honestum esset. **r.** Athenienses miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. **s.** Multum fluxisse video de libris nostris sermonem, quid de quaque re certi haberemus scire cupientium. **t.** Vive memor quam sis aevi brevis. **u.** Vociferari Decius, quo fugerent quamve in fuga spem haberent. **v.** Quemquamne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? **z.** Socratem aiunt colapho percussum nihil amplius dixisse quam molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent.

Casi particolari. **a.** Caesar praesidia disponit, castella commūnit, quo facilius, si transire conarentur, prohibere possit. **b.** Caesar, si vim facere conentur, prohibitorium ostendit. **c.** Chrysippus disputat aethera esse quem homines Iovem appellarent. **d.** De te homines quid sentiant experti sumus. **e.** Saepe expertus sum quantum me amares. **f.** Quid faceret? -Si amabat, rogas quid faceret? **g.** Est violentior quam vellem. **h.** Sed, quod litteris exstet, Pherecydes Syrius primum dixit animos esse hominum sempiternos.

Consecutio temporum nelle proposizioni consecutive. **a.** Siciliam Verres per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit. **b.** Hortensius ardebat cupiditate dicendi sic, ut in nullo umquam flagrantius studium viderim. **c.** Marcellus ita stertebat, ut ego vicinus audirem. **d.** Atticus sic Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. **e.** Ita ille demens erat, ut eum, quem conscius tanti sceleris habebat, a se dimitteret? **f.** Socratis responso iudices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. **g.** Tantus consensus senatus fuit, ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit, itaque fecimus. **h.** Hannibal adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut post numquam dextro aequae bene usus sit. **i.** Haec dicta adeo nihil moverunt quemquam, ut legati prope violati sint. **l.** Acies eo usque est caesa, ut ex duodeviginti milibus hominum duo milia haud amplius evaserint.

Regola di Reusch. **a.** Intellego me plura dixisse, quam opinio tulerit mea. **b.** Quaero num plura dixerim, quam opinio tulerit mea / Quaerebam num plura dixissem, quam opinio tulisset mea. **c.** Vides omnia fere contra ac dicta sint evenisse. **d.** Licet videre, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse. **e.** Adiunxero Thebas, quamdiu Epaminondas praefuerit rei publicae, caput fuisse totius Graeciae. **f.** Quis non fateatur, cum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxima, inflammare animos audientium et, quocumque res postulet modo, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei quod maximum fuerit defuisse? **g.** Sentio me esse longius provectum quam proposita ratio postularet (indipendente: *Longius provectus sum quam proposita ratio postulabat*).

PRONOME RIFLESSIVO E POSSESSIVO DI TERZA PERSONA

1. Nelle proposizioni principali.

I. a. Sapiens solus scit sibi vivere. **b.** Spes omnis consistebat duci in se locique natura. **c.** Maximum imperium est sibi imperare. **d.** Marius vidit amicum suum. / Vidi Marium parentesque eius. **e.** Sua Caesarem in Hispania comitata est fortuna.

II. a. Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit *sui*. **b.** Sapiens solus scit *sibi* vivere. **c.** Spes omnis consistebat duci *in se* locique natura. **d.** Maximum imperium est *sibi* imperare. **e.** Hoc quid sit, per se ipsum non facile interpretor.

III. a. Etiam capillus unus habet umbram suam. **b.** Praefecti regii ad Atticam accesserunt ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. **c.** Hic pagus L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum sub iugum miserat. **d.** Sua Caesarem in Hispania comitata est fortuna. **e.** Suo cuique iudicio utendum. **f.** Est hoc ipsum solacii loco, inter multos dolorem suum dividere.

2. Nelle proposizioni dipendenti. a. Caesar, milites cohortatus uti suae pristinae virtutis memoriam retinerent, proelii committendi signum dedit. **b.** Caesar me ut sibi essem legatus non solum suasit, sed etiam rogavit. **c.** A Caesare valde liberaliter inquit, sibi ut sim legatus. **d.** Cicero multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius consilia Catilinae sibi proderet. **e.** Antonius non commisisset, ut ei senatus tamquam Hannibali denuntiaret, ne oppugnaret Saguntum. **f.** Decima legio per tribunos militum Caesari gratias egit, quod de se optimum iudicium fecisset. **g.** Caesar non solum publicas, sed etiam privatas iniurias ultus est, quod eius soceri avum Tigurini eodem proelio interfecerant. **h.** Dictator equites silvis se occultare iubet neque inde ante moveri, quam ab se acceperint signum. **i.** Pleminius mortuus prius in vinclis est, quam iudicium de eo perficeretur. **l.** Paetus omnes libros mihi donavit, quos frater suus reliquisset. **m.** Q. Nobilior Ennium poetam, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit. **n.** Darīus classem comparavit causam interserens se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent suaeque praesidia interfecissent. **o.** Patres conscripti legatos in Bithyniam miserunt, qui ab rege peterent, ne Hannibalem inimicissimum suum secum haberet sibi dederet. **p.** Caesar vehementer centuriones incusavit: cur de sua virtute aut de ipsius diligentia desperarent? **q.** Proculus Iulius in contione dixisse fertur Romulum sibi mandasse, ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delūbrum fieret.

PROPOSIZIONI SOSTANTIVE

1. quod

a. Non tam ista me sapientiae fama delectat, quam quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore. **b.** Quam multi, quod nati sunt, queruntur? **c.** Unum habet assidua infelicitas bonum, quod quos semper vexat, novissime indurat. **d.** Cato obiecit ut probum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas deduxisset; duxerat autem in Aetoliam Ennium. **e.** Mihi quidem videntur homines hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt. **f.** Me una haec res torquet, quod non omnibus in rebus Pompeium secutus sim. **g.** Eo accedebat quod iudices e lege Rupilia dati non erant. **h.** Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti. **i.** Socrates accusatus est, quod corrumpere iuventutem. **l.** Haec urbs mihi videtur laetari, quod tantam pestem evomuerit. **m.** Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod, quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, intellegitis. **n.** Quod me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem.

2. ut / ut non

a. Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus. **b.** Demosthenes perfecit meditando, ut nemo planius esse locutus putaretur. **c.** Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit nisi recordari. **d.** Relinquebatur Caesari nihil nisi uti equitatu agmen adversariorum male haberet. **e.** Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant. **f.** Ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum.

3. *ut / ne / ut ne*

a. Peto a te, vel, si pateris, oro, ut homines miseros conserves. **b.** Me obsecras amantissime, ne obliviscar vigilare et ut animadvertam quae fiant. **c.** Pompeius suis praedixerat, ut Caesaris impetum exciperent neve se loco moverent. **d.** Si tibi fortuna non dedit ut patre certo nascere, at natura certe dedit ut humanitatis non parum haberes. **e.** Vos adepti estis, ne quem civem metueretis.

4. *Verba timendi*

a. Solon sollicitus, ne parum consuleret sibi, subitam dementia simulat. **b.** Quanta dementia est vereri ne infameris ab infamibus! **c.** Lentior fit pugna et induratur praeter spem resistendo hostium timor; ac ne vertat in audaciam, periculum est. **d.** Romam vereor ne sic cunctantibus nobis Hannibali ac Poenis totiens servaverint maiores nostri. **e.** Metuo ne non sit surda atque haec audierit.

5. *Quin, quominus, ne*

a. Vellem tua te occupatio non impedisset quominus ad me quid ageretur perscriberes. **b.** Impedior religione quominus exponam quam multa P. Sextius ad me detulerit. **c.** Plura ne scribam dolore impedior. **d.** Non possumus quin alii a nobis dissentiant recusare. **e.** Minimum afuit quin Octavianus periret concursu et indignatione turbae militaris. **f.** Caesar poteritne se tenere quin D. Bruti sanguine poenas patrias persequatur? **g.** Caligula canendi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret quominus tragoedo pronuntianti concineret? **h.** Numquid tu dubitas quin ego perpetuo perierim?

PERIODO IPOTETICO

A. Apodosi indipendente

Esempi del I tipo

1. **a.** Si di sunt, est divinatio; sunt autem di; est ergo divinatio. **b.** Si Q. Ligarius est in exilio, sicuti est, quid amplius postulatis? **c.** Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris. **d.** Si quis oriente Canicula natus est, is in mari non morietur. **e.** Si sapis, omnia humana condicione metire. **f.** Moriar, si quisquam me tenet praeter te.

Esempi del II tipo

2. **a.** Ego a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem. **b.** Quid opponas, si negem me umquam ad te istas litteras misisse? **c.** Ego, si a corona relictus sim, non queam dicere.

3. *Exempla ficta.* **a.** Si quis deus mihi largiatur ut repuerascam, valde recusem nec vero velim ad carceres a calce revocari. **b.** Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, officium non reddere¹.

¹ Va notato che nell'esempio della frase **b** il periodo è distinto da una corrispondenza simmetrica delle parti che lo costituiscono: esso risulta infatti formato da due protasi di differente ampiezza, aventi come rispettivi predicati verbali il perfetto congiuntivo *deposuerit* e il presente congiuntivo *repetat*, coordinate tra loro attraverso l'asindeto avversativo, come può agevolmente inferirsi dalla forte antitesi ottenuta dall'ablativo strumentale *sana mente* nella prima protasi, cui si contrappone nella seconda protasi il participio congiunto *insaniens*. Va poi notato che la differenza dei tempi nelle due protasi è funzionale a segnalare il *discrimen* cronologico che intercorre tra le due azioni. Alle due protasi fanno riscontro altrettante apodosi, i cui elementi sono stati disposti chiasticamente, con gli infiniti nominali svolgenti funzione soggettiva agli estremi, mentre nei medi trova posto l'antitesi lessicale *peccatum / officium*.

4. Periodo ipotetico arcaico. **a.** Deos non curare opinor quid agat humanum genus; nam **si curent**, bene bonis **sit**, male malis, quod nunc abest². **b.** Tu si hic **sis**, aliter **sentias**³. **c.** Factum est illud: deos credo voluisse: nam **ni vellent**, non **fieret**⁴.

Esempi del III tipo

5. a. Quae si fato facta putarem, ferrem paulo facilius, sed omnia sunt mea culpa commissa. **b.** Divitias nego bonum esse: nam si essent, bonos facerent. **c.** Ego si somnum capere possem, tam longis te epistulis non obtunderem. **d.** Si occidisset, recte fecisset; sed non occidit.

Esempi di apodosi con il modo indicativo (periodi ipotetici misti)

a. Espressioni del falso condizionale

6. a. Si Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus. **b.** Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas. **c.** Si unum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit. **d.** Nisi ad haec admitterer, non tanti fuerat nasci.

b. Perifrastica attiva

7. a. Emendaturus, si licuisset, eram. **b.** Si filius meus perisset, victurus non fui.

c. Espressioni con il piuccheperfetto indicativo

8. a. Pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia concupivisset. **b.** Perieramus, si hic magistratus esset. **c.** Actum erat, nisi Marius illi saeculo contigisset. [Cfr. anche il piuccheperfetto di *coepi*: *Britanni circumire terga vincentium coeperant, ni Agricola quattuor equitum alas venientibus opposuisset*].

d. Locuzioni con gli avverbi *paene* e *prope*

9. a. Paene in foveam decidi, ni hic adesses. **b.** Pons Sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset Horatius Cocles.

e. Imperfetto della cosiddetta “azione sospesa”

10. a. Labebar longius, nisi tu retinuisses. **b.** Vincebat auxilio loci paucitas, ni Veiens in verticem collis evasisset.

f. Esempi di altri periodi ipotetici misti

11. a. Erat unum iter, si Ilerdam reverti vellent, alterum, si Tarraconem peterent. **b.** Maecenas habuit ingenium grande et virile, nisi illud secundis rebus discinxisset. **c.** Retinere conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi summovissent.

B. Apodosi dipendente

Esempi del periodo ipotetico del I tipo

1. si hoc dicis, erras. **a.** Puto te, si hoc dicas (dicis), errare. / Putabam te, si hoc diceres, errare. **b.** Non dubito quin, si hoc dicas (dicis), erres. / Non dubitabam quin, si hoc diceres, errares.

² Enn. *scaen.* 317 s. V².

³ Ter. *Andr.* 310.

⁴ Plaut. *Aul.* 741. L'esempio della frase **c** va così tradotto: «Si è verificato ciò; credo che lo abbiano voluto gli dei: infatti, se non lo avessero voluto, non sarebbe accaduto». I due imperfetti congiuntivi del testo, secondo la nostra sensibilità linguistica, e non in osservanza al tempo, sono stati rispettivamente resi con il trapassato congiuntivo e il condizionale passato. Invece, riguardo al latino va notato che l'imperfetto congiuntivo, impiegato sia nella protasi sia nell'apodosi, serviva ad indicare nel periodo ipotetico arcaico soltanto il momento in cui era stata formulata l'ipotesi: l'imperfetto congiuntivo se essa era riferita al passato, mentre il presente in riferimento al presente. Non si era ancora sviluppata la distinzione tra la possibilità e l'irrealtà.

2. *si hoc dices, errabis.* **a.** Puto te, si hoc dicas (dices), erraturum esse. / Putabam te, si hoc dices, erraturum esse. **b.** Non dubito quin, si hoc dicas (dices), erraturus sis. / Non dubitabam quin, si hoc dices, erraturus esses.

3. *si hoc dixeris, reprehendēris.* **a.** Puto te, si hoc dixeris, reprehensum iri. / Putabam te, si hoc dixisses, reprehensum iri. **b.** Non dubito quin, si hoc dixeris, reprehendaris (oppure: reprehendi possis). / Non dubitabam quin, si hoc dixisses, reprehenderēris (oppure: reprehendi posses).

4. *si hoc dixisti, erravisti.* **a.** Puto te, si hoc dixeris (dixisti), erravisse. / Putabam te, si hoc dixisses, erravisse. **b.** Non dubito quin, si hoc dixeris (dixisti), erraveris. / Non dubitabam quin, si hoc dixisses, erravisses.

Esempi del periodo ipotetico del II tipo

1. *si hoc dicas, erres.* **a.** Puto te, si hoc dicas, erraturum esse. / Putabam te, si hoc dices, erraturum esse. **b.** Non dubito quin, si hoc dicas, erraturus sis. / Non dubitabam quin, si hoc dices, erraturus esses.

Testi di verifica. **a.** Deos didici securum agere aevum, nec, si quid miri faciat natura, deos id ex caeli demittere tecto. **b.** Neminem laudare ausus est, veritus ne multos offenderet, si paucos excerpisset. **c.** Qui possum non cupere verum invenire, cum gaudeam si simile veri quid invenerim. **d.** Non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestae futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur. **e.** Caesari rescripti, quam mihi gratum esset futurum, si quam plurimum in te liberalitatis suae contulisset. **f.** Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus, quo legat lyricos.

Esempi del periodo ipotetico del III tipo

1. *Si hoc dices, errares.*

a. Puto te, si hoc dices, erraturum fuisse.

b. Non dubito quin, si hoc dices, errares.

2. *Si hoc dixisses, erravisses.*

a. Puto / Putabam te, si hoc dixisses, erraturum fuisse.

b. Non dubito / Non dubitabam quin, si hoc dixisses, erraturus fueris.

3. *si hoc dixisses, reprehensus esses.*

a. Puto / Putabam te, si hoc dixisses, futurum fuisse ut reprehendereris. / *Ma preferibilmente, secondo l'usus degli autori latini:* Si hoc dixisses, puto / putabam, reprehensus esses

b. Non dubito / Non dubitabam quin, si hoc dixisses, reprehensus esses.

4. *nisi operam dedisses, Latine loqui non didicisses.*

a. Puto, nisi operam dedisses, futurum fuisse ut Latine loqui non disceres. / *Ma preferibilmente, secondo l'usus degli autori latini:* Nisi operam dedisses, puto / putabam, Latine loqui non disceres.

b. Non dubito quin, nisi operam dedisses, Latine loqui non didicisses.

5. *si velles, posses.*

a. Puto te, si velles, posse.

b. Non dubito quin, si velles, posses (*cfr. qui sopra n. 1: si hoc dices, errares*).

6. *si voluisses, potuisses.*

a. Puto / Putabam te, si voluisses, potuisse

b. Non dubito / Non dubitabam quin, si voluisses, potueris.

Testi di verifica. **a.** Varro Musas Plautino dicit sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. **b.** Dubitare nemo debet quin multos, si posset, C. Caesar ab inferis excitaret. **c.** L. Gellius dixit si ego consul, cum fui, non fuisset, rem publicam funditus interituram fuisse. **d.** Nisi eo ipso tempore quidam nuntii de Caesaris victoria essent allati, existimabant plerique futurum fuisse uti oppidum amitteretur. **e.** Quod ille si repudiasset, dubitatis quin ei vis esset allata? **f.** Dedit hic mihi beneficium, sed tam tarde dedit, ut plus praestaturus fuerit, si cito negasset. **g.** Adeo citato agmine ducti sunt, ut, si via recta issent, haud dubie eos adsecuturi fuerint. **h.** Haud dubium fuit quin, nisi ea mora intervenisset, castra eo die Punica capi potuerint.

a. ante eventum: Hannibal sperabat se, si auxiliis usus esset, Romā potiturum esse.

b. post eventum: Hannibal post proelium apud Zamam dicere solebat se, si auxiliis usus esset, Roma potiturum fuisse.

